



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Isagoge Sive Introductio Ad Vitæ Spiritualis
Perfectionem, Omnibus tam Regularibus, quàm Clericis
Sæcularibus, Confessariis, Concionatoribus, & Animarum
Pastoribus perquàm utilis, & specialiter ...**

Herlet, Johann Georg

Sulzbaci, Anno MDC.XCIII.

§. 12. De Passione Tristitiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37853

tempus efflagitat: quando vero id non adest, etiam ista vitiosa est. Unde scandalizari non debent Novitii & Tyrones, si quandoque videant, superiores zelo disciplinæ commoveri, & irasci.

§. 12.

De Passione Tristitiæ.

91. **D**amna Tristitiæ alia sunt ex parte corporis, alia ex parte animæ. De damnis corporalibus ait Scriptura. Proverb. 12. *Mæror in corde viri humiliabit illum; Et sermone bono letificabitur.* Proverb. 15. *Cor gaudens exhilarat faciem: in mærore animi dejicitur spiritus.* Proverb. 17. *Animus gaudens etatem floridam facit: spiritus tristis exsiccet ossa.* Proverb. 25. *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno; ita tristitia viri nocet cordi.* Eccli 30. *Tristitiam nè des anima tua; & non affligas temet ipsam in consilio tuo. Jucunditas cordis hac est, vita hominis; Et exultatio viri est longevitas. Tristitiam longè repelle à te, multos enim occidit tristitia; Et non est utilitas in illa.* Denique Eccli. 25. *Omnis plaga tristitia cordis.*

Damna spiritualia tristitiæ recensent spiritualia Magistri sequentia: primum est, quod orationes explere cum solita cordis alacritate non permittit tristitia, ut inquit Cassianus lib. 5. *De instit. renunt.* Quin & tanto subindè hominem fastidio rerum spiritualium afficit, sicut non solum ipse exercitia pietatis & communia Religiosis ministeria cum summo tædio & nausea obeat;

N 2

ver,

verum etiam ceteros suos collegas, qui serio & cum alacritate perfectioni incumbunt, odio habeat, aversetur, persequatur. *Secundum* est, quod tristitia reddat hominem in congregatione viventem ceteris suis confratribus difficilem, asperum, austerum, morosum, inhumanum, intolerabilem, & insupportabilem: *tristitia* enim *ex propinquo* habet *iram*; ut inquit S. Gregorius *lib. 31. moral. cap. 31.* Et docet experientia, quod illi, qui tristes ac melancholici circumeunt, communiter sint impatientes, suspicaces, indignabundi, & stomachantes; nec possit quicquam ab aliis dici, aut fieri, quod ipsi non carpant & improbent, urfis exasperatis similiores quam hominibus. *Tertium* dampnum est, quod tristitia frequenter homines eo usque perturbare, & exagitare soleat, ut omni prorsus sensu, iudicio, & rationis usu eos privet, atque a mente alienatos efficiat; *non enim est sensus, ubi est amaritudo*; inquit Ecclesiasticus *c. 21.* Unde videmus & audimus saepe eos, quibus passio mœroris & melancholix prædominatur, tam exoticis apprehensionibus, fanaticis suspicionibus, & angoribus torqueri, ut vel ipsis pueris ridiculi existant. *Quartum* est, quod Dæmon eos, quos animi tristitia occupavit, non raro in abyssum desperationis præcipitet; prout de Juda proditore testatur Matthæus *c. 27. v. 6.* & loquuntur casus obvii. Propter quod Ascetici tristitiam vocant *speluncam* & *latibulum Diaboli*; quamprimum enim hic conspicit hominem religiosum tristitiâ &

mœ-

mœrore oppressum, statim ei suggerit cogitationes de instituto Religioso deserendo; prout advertit Alphonsus Rodericus *part. 2. Exercit. Perfect. tract. 6. c. 1. n. 7.* & quotidiana confirmat experientia. *Quintum* damnum tristitiæ est, quod, cum *sine omni delectatione anima nunquam possit esse*, teste S. Gregorio. *lib. 28. moral. c. 8.* & D. Bonaventurâ *tom. 2. opusc. lib. 2. de profect. Relig. c. 2.* Diabolus tempore mœroris & tristitiæ, quando in rebus spiritualibus homo nullam delectationem invenit, res sensuales, inhonestas, & carnales ei fallaciter objiciat, & repræsentet, ut afflictus animus rerum illicitarum oblectatione præsentem mœrorem & melancholiam pellere, aut mitigare quærat.

92. Ex quibus omnibus manifestum est, quàm sit necessarium homini religioso, qui post manum aratro applicatam non vult retrospicere ad sæculum, nec cum fastidiosâ turbâ anhelare in deserto rursus ad ollas carnalium voluptatum in Ægypto relictas, ut omnem tristitiam & animi mœrorem longè à se repellat; contrà verò jugiter in domino delectetur & exultet, juxta illud *Philipp. 4. Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete.* Et *Psal. 69. Exultent & latentur in te omnes, qui quarunt te.* Item *Psal. 99. Servite Domino in latitiâ.* Et *Psal. 104. Latetur cor quærentium Dominum.* *Diaboli enim & membrorum ejus est tristari; nostrum verò jugiter in Domino gaudere; quia vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum;* ajebat S. Franciscus ad fratres suos. Et de discipulis S. Apollo

Abbatis dicitur in *vitis Patrum. lib. 8. c. 52.* Licebat eos videre exultantes in solitudine, adeo ut nullam ejusmodi aliam exultationem in terrâ videre liceat, nec latitiam corporalem. Neque enim erat inter eos aliquis mœstus, aut tristis: sed si quis videbatur præferre tristitiam, statim Pater Apollo ex eo rogabat causam. Dicebat enim: non oportet esse tristes propter salutem; cum futuri simus heredes regni cælorum. Tristes autem erunt gentiles, flebunt Judæi, lægebunt peccatores; justi autem letabuntur. Qui terrena quidem animo agitant, latantur in rebus terrenis: nos autem, qui tantâ spe digni sumus habiti, quomodo non letamur perpetuò; cum nobis Apostolus suadeat, ut semper letemur? Porro habet lætitia spiritualis & hilaritas animi in servitio Divino tres præcipuè effectus magni momenti: primus est, quod opera nostra & servitia Deo cum hilaritate & animi alacritate exhibita, sint ipsi multò gratiora, & acceptabiliora, quàm ea, quæ cum tædio & tristitiâ præstantur. Sicut testatur S. Paulus 2. Corinth. 9. dicens: *Non ex tristitiâ, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Et Ecclesiasticus c. 35. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Sicut enim homines, ita & magis Deus respicere solet non tam externum opus, quod præstatur, quàm ipsam internam voluntatem, & affectum, quo præstatur. Quâ in re proindè graviter decipiuntur aliqui, dum putant, se devotos esse, & Deo placere non posse, nisi incedant capite in terram dejecto, fronte capratâ & contractâ, vultuque lugu-

lugubri & mœsto. *Religiosorum modestia non est mœsta*, inquit S. Leo Papa *serm. 4. sed Sancta*. Et Christus *Matth. 6. nolite fieri sicut hypocritæ tristes*. Undè Statuta nostra Canonica. Dist. 1. c. 22. n. 6. jubent, ut *facies sit serena, & hilaritatem potius exhibeat, quàm tristitiam; nihilq; torvum appareat in oculis, & c. 20. n. 13.* præscribunt Novitiis, ut sint *in communi conversatione benigni, atq; modesti; in animi relaxatione cum religioâ moderatione læti. Ad officium verò divinum accurrere, eiq; interesse consue- scant cum magno fervore spiritûs, & cum alacritate cordis.*

Secundus effectus lætitiæ Spiritualis est, quod subministret facilitatem, promptitudinem, vires ac robur ad benè operandum; juxta illud *Psalmi. 118. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Hilaritas enim & lætitia cor hominis dilatat & ampliat, illudq; promptum & alacre reddit ad superandas difficultates; sicut econtrâ mœror & tristitia animum angustiat, constringit, cōarctat & contrahit; redditq; illi durum & difficile, quod prius leve & facile videbatur; ita ut ad consuetâ Deo servitia præstanda non amplius afficiatur.

Tertius effectus lætitiæ spiritualis est, quod proximus inde plurimum ædificetur, & ad studium virtutis incitetur; dum enim videt, nos opera ordinaria & exercitia Religionis, quæ ipsi videbantur difficilia & molesta, obire cum magnâ animi promptitudine, alacritate, &

vultus hilaritate; hoc ipso sibi persuadet, non reperiri eam in virtutum exercitio difficultatem, quam eidem inesse hactenus existimavit; correctâque suâ erroneâ imaginatione, seipsum ad easdem virtutes sectandas extimulat, dicens intra semetipsum: possunt hi & isti; cur & ego similiter non possem?

93. Porrò media pellendi tristitiam & Melancholiam, consistunt in remotione impedimentorum, vel causarum illarum, ex quibus nasci solet malum tristitiæ. Prima autem causa & radix solet interdum esse humor melancholicus in corpore prædominans; ad quem evacuandum aptior est medicus corporalis, quàm spiritualis. Quia tamen hic morbus melancholiæ & infectus humor non solum fovetur per tristes & terribiles cogitationes, sed etiam summoperè augetur, & magis radicatur: hinc statim in principio resisti illis debet & obviari; antequàm prævaleant.

Altera radix tristitiæ est immortificatio voluntatis nostræ propriæ, & appetitus sensitivi: ideò enim communiter solemus contristari; quia appetitui nostro & affectibus non fuit satisfactum; vel quia res aliter accidit, quàm sperabamus, aut desiderabamus. Adeoque passionibus nostras, & inordinatos affectus cohibeamus & edomemus necesse est, si jugiter velinus gaudere, & nunquam contristari. Huic verò causæ confinis est

Tertia, videlicet nimia propensio nostra erga res hujus mundi; quia non sumus resignati,
& per-

& perfectè indifferentes ad omnem personam, locum, officium, functionem, & quamcunq̄ue rem vel acceptandam vel dimittendam secundum Dei voluntatem per Superiores nobis manifestatam. *Qui enim non habita concupiscit, ut habeat; aut in prosperis formidat adversa; aut adepta metuit, nè amittat; aut in adversis sperat prospera; talis huc illucq̄ quasi quibusdam fluctibus volvitur; ut inquit S. Gregorius lib. 22. moral. c. 24.* Qui verò indifferens est ad omnem Dei superiorumq̄ue voluntatem, nec unum aliquod officium, vel functionem, locum, &c. magis eligit & concupiscit, sed in eo solum lætatur & conquiescit, quod Dei nutum & beneplacitum intelligat, & exequatur; talis omni tempore materiam & occasionem inveniet gaudendi, juxta Apostoli monitum; & gaudium illius nemo tollet ab eo; quia illud non collocat in re quadam auferibili, mutabili aut impedibili, sed in solâ & unicâ Dei voluntate; quam nulla creatura poterit impedire; juxta illud *Isaia 46. Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Nostra igitur propria voluntas, amor proprius, studium propriarum commoditatum, & desideria nostra sunt tortores & carnifices nostri, quibus frequenter torquemur, divexamur, dilaniamur, & in tristitiam sive melancholiam conjicimur; sicut patet ex *lib. 3. Reg. c. 21.* Ubi Rex Achab incidit in tantam tristitiam & mœrorem, ut se in lectulum projiciens, non comederet panem. Causa verò morbi & melancholiæ additur; quia concupiverat

N s vineam

vineam Naboth Palatio regio vicinam; quam tamen juxta desiderium suum accipere non poterat. Sic hodie videmus nonnullos in Religionibus continua quasi passione tristitiæ vexari, ac summopere torqueri; quia non impetrant à Superioribus, quod desiderant; vel auferuntur ab eis, quod amant; vel injungitur ipsis, quod averfantur & horrent. Qui tamen omnes perpetuâ pace, tranquillitate, & cordis lætitiâ frui possent, si omnino nullam rem præ aliâ concupiscerent, sed ad quidvis per Superiores injungendum indifferentes se exhiberent.

Quarta radix tristitiæ est occulta & latens nostra superbia: qui malignus tumor & humor quamdiu in nobis residet, nunquam animo nostro tristitia & mœror deerit; quia nunquam deerunt occasiones, vel ex parte Superiorum, vel ex parte confratrum nostrorum, quæ animum inflatum ac tumidum affligant; indicibili enim mœrore torquetur Superbus, quando propter excessus & defectus suos à Superioribus increpatur, coram aliis confunditur, publicè humiliatur, cœteris postponitur, ab officio aut functione honorificâ removetur. Item quando à paribus & inferioribus non æstimatur pro qualitate sui status, doctrinæ, officii &c. Vel quando ipsius verba & sermones non à cunctis audientibus auscultantur, ac veluti oracula habentur, titulus & respectus non tribuuntur &c. Unde cum Mardochæus superbo Amanno ingredienti, & egredienti non assurrexisset; hic offensâ amicis divitiarum suarum magnitudine,
sub.

subjunxit : *Cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardocheum Judæum ante fores Regias.* Postquam verò eidem Mardocheo se postponi vidit; ex aulâ festimavit ire in domum suam tristis & lugens. *Esther. 5. v. 13. & c. 6. v. 12.* Qui ergò tristitiæ malo carere, & jugiter gaudere desiderat, omnem in se superbiam evacuare contendat.

Denique ad melancholiam & tristitiam propulsandam efficax est remedium, si per orationem confugiamus ad Deum, & ad spem vitæ æternæ animum depressum erigamus; Juxta illud *Jacob. 5. Tristatur aliquis vestrum; oret.* Est scilicet hoc inter animum Religiosum & mundanum discrimen, quod sicut in universali diluvio corvus ex arcâ dimissus, pabulû & requiem quæsit in cadaveribus hominum ac jumentorum; columba verò ejusmodi immunditias averfata, cum non inveniret, ubi requiesceret pes illius, in arcam ad Noemum rediit: ita animus mundanus inter aquas tribulationis & afflictionis deprehensus, confugiat ad oblectationes sensuales & carnales, ibidem lenimen ac solatium quæsiturus; Animus verò religiosus, cum hujusmodi voluptates brutales, & spurcicias aspernetur, pedemque in illis figere horreat, ad Deum, Patrem & liberatorem suum confugiat. Unde

David de se ait *Psalm. 76. renavit consolari anima mea: memor sui Dei; & delatus sum.*



9, 13. Me-